
/ Ill^{me} et R^{me} Domine. Merito potest Ill^{ma} D. V. omnia sibi de
me promittere, quoniam tali glutino Christi charitas nos coniunxit,
ut neque in hoc seculo neque in futuro dissolvendum esse sperare
possimus. Negocium, quod mihi D. V. commendat, iam feliciter expe-
5 ditum est, et concessa facultas a Sanctissimo Domino nostro D. Al-
berto Ziemacijo ascendendi non solum ad sacros ordines, et benefi-
cia quaecunque, sed etiam ad dignitates, et canonicatus in eccle-
siis cathedralibus; in qua re non defui officio meo, cum id coram
Sanctissimo tractaretur. Nolo autem D. V. ignorare, me his diebus
10 ad archiepiscopatum Capuanae ecclesiae vocatum esse; in qua re com-
patietur mihi, certo scio, pietas cordis vestri, quae iam experimen-
to didicit, quam sit ingens, et periculosum pastorale onus. Cupio
D. V. Reverendissimam bene valere, et in omnibus prosperè agere,
atque in iis potissimum, quae ad divinum obsequium pertinent, et
15 mei ad altare Domini in sanctis precibus suis memorem esse. Capuae
die 15 Maii 1602.

[Fulvigiatti, Epp.famil.XXV.]